



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Abbati De Firmitate, G. & F. Archidiaconis Cabilonensibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

## 384      Epistolarum Innocentij III.

producendos testes Episcopi, per quos inductos à parte adverſa repellerent, inducias postularunt: quas præfixo termino peremptorio sub eo tenore illis duximus concedendas, ut apud apostolicam sedem probarent quæ vellent, ubi onus probationis pars altera subiſſet. Ceterum quoniam infra datum terminum & receptum in producendis testibus defecerunt, nos tam per depositiones testium quām per aſſertiones quorundam fratrum nostrorum liquidō cognoscentes talem dicti privilegiū fuisse tenorem, quod videlicet ipsum cœnobium nullo mediante ad Rom. Eccl. pertineret, & quod non licet alicui Episcopo eidem monasterio & ejus Ecclesiæ excommunicationem indicere, ut fratres illic Dominō servientes, ab omnium potestate liberi, Ecclesiæ Rom. libertatis gratia potirentur, & quod nulla in eo mentio diocefani Episcopi habebatur; illud etiam nihilominus attentes, quod, ſicut ex dictis quorundam testium intellectimus evidenter, & plerique de nostris fratribus tempore illo prætentibus recolabant, cùm tu, fili Abbas, tempore bonæ memorie Celeſtini Papæ prædeceſſoris nostri ad ipsius prætentiam accessifiles, ipſe in p[ro]p[ter]is Ecclesiæ tuae privilegijs, te, licet excommunicatus ab Eugubino Episcopo dicereris, tanquam non ligatum admisit ad osculum, (quod præfumitur non fecisse, niſi monasterium vestrum cognovisset ad Rom. Ecclesiæ specialiter pertinere) de communi fratrum nostrorum consilio pronuntian- dum decernimus privilegium illud bonæ memorie Lucij Papæ prædeceſſoris nostri, quod sine omni reprehensione bulle, chartæ, vel literæ apparebat, quando fuit nobis ostensum, illius fuille tenoris, cuius per depositiones testium & aſſertiones fratrum nostrorum præmisimus extitisse. Decernimus ergo &c. nostra pronuntiationis &c. Datum Laterani II. Kal. Iunij.

### ABBATI DE FIRMITATE, G. & F. Archidiaconis Cabilonenſibus.

*Epif. 80.*  
Committitur  
ipſis cognitione  
cauſe inter Ec-  
clesiam Eduen-  
sem & mona-  
ſterium Bal-  
menſe.  
*Extr. rursum*  
*intra epif. 287.*

**E**xpositam nobis Eduen. Ecclesiæ accepimus quæſtionem, quod cùm cauia quæ inter eam & Balmen. monasterium vertebatur super terris & Ecclesiæ in valle Polliniaci constitutis, fel. record. Celeſtinus Papa prædeceſſor noster venerab. fratri nostro Cabilonen,

Episcopo & dilecto filio B. quondam Abbatu de Firmitate commisſet fine debito terminandam, monachi Balmen. ab ipſis judicibus appellarunt. Ille verò qui Abbas ejusdem monasterij dicebatur, ſe simulans ad prosequendam appellatiōnem accedere, ſemel tantum apostolico ſe conſpectui præſentavit, & ſic illici- tatus recessit, de appellatione interpoſito nullam faciens mentionem. Cūque post paucos dies Ecclesiæ Eduen. nuncius pro appellatione prosequenda transmisſus, fuſſet apud ſedem apostolicam diutiū commoratus, idem prædeceſſor noster monachos antedictos peremptoriè citavit, per literas suas eis ſub poena excommunicationis injungens ut ille qui ſe gerebat Abbatem, cum ali- quibus ejusdem monasterij monachis in feſto beati Lucae jam ſecundō præterito ad ejus prætentiam accederent ſufficien- ter inſtruīti Eduen. Ecclesiæ plenariè respondere, & ſatisfacere ſedi apostoli- cae de contempi. Ipsi verò licet jux- ta quod eis injunctum fuerat non ve- niſſent, quidam tamen monachorum ad Rom. Ecclesiæ acceſſerunt, quos nuncius Eduen. Ecclesiæ apud apostolicam ſedem inuenit: ſed de ſuo negotio diſſi- dentes, ante cauſa cognitionem, vt ma- gis Eduen. aggravarent Ecclesiæ, re- ceſſerunt, ad venerabilem fratrem no- strum Bellicen. Episcopum & dilectos fi- lios Abbatem de Balerna & Priorem Boniloci per suppressionem veritatis, ignorante præfato nuncio Eduen. Eccle- ſiæ, litteras, ut dicitur, reportantes. Postmodum autem cùm jamdicto nuncio Eduen. ſe quidam Balmen. monachus objecſſet, & ne poſſet obtinere litteras impidebat, eis dilectos filios I. tt. ſancti Stephani in Cœlio monte Presbyterum & G. ſancti Adriani Diaconum Cardinales conſecratos auditores: in quorum prætentia cùm ſuper cauſa illa fuſſerit aliquandiu litigatum, & eis ſcripta & alle- gationes ab utraque partium aſſignatae, monachus ipſe illici- tatus recessit, & noluit ſententiam expectare. Quæ omnia cùm ad noſtram audientiam perve- niſſent, noſlentes aliquem de fraude ſua commoditatē reportare, ven. fratri noſtro Episcopo & dilecto filio Decano Matisconen. per ſcripta noſtra mandavimus ut convocatis ad prætentiam ſuam partibus, ſi eis conſtareret Eduen. Eccle- ſiam prædictis terris & Ecclesiæ à præ- fatis

fatis monachis fuisse præter juris ordinem spoliatam, ipsi ei auctoritate nostra terras ipsas & Ecclesiæ cum fructibus perceptis ex eis non obstante contradictione vel appellatione cuiuslibet resigñarent, prædictis literis nequaquam obstantibus, quas etiam morte præfati prædecessoris nostri credimus expirasse, post restitutionem verò integrum ablatorum & expensarum quas Canonici Eduen. Ecclesiæ in prosequenda monachorum appellatione, quam ipsi monachi prosequi non curarunt, se rationabiliter fecisse probarent, audirent ipsi judices si quid emerget questionis, & illud fine debito appellatione postposita terminarent. Quod si ambo his exequendis interesse nequirent, prædictus Episcopus nihilominus quod mandavimus adimpleret. Cum autem, sicut in literis ejusdem Episcopi perspeximus contineat, utraque partium in ejus esset præsentia constituta, & pars Eduen. Ecclesiæ juxta mandati nostri tenorem restitutio- nem ablatorum & expensarum cum instantia postulareret, Balmen. monachi se ad ea nolle respondere nec de jure debe- re afferabant, eo quod ad suggestionem falsi à nobis ipsæ literæ fuerant imperatae. Ceterum è contra Eduen. Canonici respondebant, quod illa falsitatis sug- gestio principale negotium, pro quo jamdiū Canonici literas impetrarunt, non poterat impedire, & ideo monachorum Balmen. allegatio in casu ipso non erat aliquatenus admittenda. Et cum prædictus Episcopus paratus esset in ipso negotio justè procedere ac canonice, & nullum monachis contra justitiam gravamen inferre, ipsi, pro eo quia Decanus Eduen. Ecclesiæ filius erat fratri Episcopi memorati, ab examine ipsius nostram audientiam appellarunt: qui factæ appellationi, licet in literis nostris appellatione effet inhibita, detulit, & octa- vas nativitatis Domini proximò præteritas terminum appellationi prosequen- dae præfixit. Ad cujus prosecutionem appellationis licet nuncius Eduen. Ec- clesiæ accesserit termino constituto, pro parte tamen alia nullus prorsus compa- ruit responsalis. Volentes igitur quod ipsi cauæ finis debitus imponatur, nec prorogetur ulterius per fraudem vel insolentiam aliquorum, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus & di- strictè præcipimus quatenus Eduen. Ec-

clesiam in possessionem terrarum & Ec- clesiarum in valle Poliniaci positarum, quibus eam vobis constiterit per Bal- men. monachos præter juris ordinem spoliatam, cum fructibus inde perceptis, non obstante contradictione vel appella- tionem cuiuslibet, auctoritate apostoli- ca inducatis, à molestatione ipsius su- per possessione Balmen. monachos per centuram ecclesiasticam compescentes. Quod si non potuerint tali distinctione compesci, & possessionem eorum præ- sumperint impeditre, venerabili fratri nostro Bisuntin. Archiepiscopo & suffra- ganeis ejus ex parte nostra firmiter in- jungatis ut sententiam quam in dictos monachos rationabiliter duxeritis pro- mulgandam, faciant auctoritate nostra suffulti inviolabiliter observari. Volumus autem nihilominus & mandamus ut ex- pensas quas Eduen. Ecclesia in pro- sequendis appellationibus à monachis interpositis se rationabiliter fecisse proba- bit, ipsi Ecclesia faciatis à Balmen. mo- nasterio cum integritate perfolvi, nec eos super questione proprietatis, si litigare voluerint, audiatis, donec juxta mandati nostri tenorem terras prædictas & Ecclesiæ restituerint & expensas. su- per quibus omnibus eis penitus appella- tionis remedium interdicimus, nec à vo- bis appellationem eorum, si objecerint, audiri volumus vel admitti. Post factam verò restitutionem integrum ablatorum & expensarum, audiatis si quid emerget questionis, & illud appellatione remota fine debito terminetis. Taliter autem in nostri procedatis executione mandati, quod solicitudinem vestram debeamus in Domino commendare, nec audiamus super his ulterius questionem. Testes autem &c. Nullis literis &c. Quod si omnes &c. duo vestrum &c. Datum La- terani IV. Kal. Iunii.

*CONVENT VI MONASTERII  
sancti Leufredi de Cruce.*

**I**ntra monasterium sancti Audoëni Rothomagen. & vestrum super mo- do eligendi Abbatem in dicto monaste- rio vestro jamdudum fuit questione agita- ta: pro qua partibus ad sedem apostoli- cam accedentibus, venerabilem fratrem nostrum Octavianum Episcopum Ho- stiensem & dilectum filium G. sancti Georgij ad velum aureum Diaconum Card. dedimus auditores. In quorum CCC

Epi. 81.  
Sententia se-  
cunda contra  
primam lata, si  
ab ea non ap-  
pelletur, jure  
tener.  
Cap. Inter mo-  
nasterium, De  
sent. & re ju-  
dicata.